

**De foeminis ex suppressione mensium barbatis disputatio medica
inauguralis / [Jacob Bürlein].**

Contributors

Bürlein, Jacob, active 1661-1664.
Universität Altdorf.

Publication/Creation

[Altdorf] : Typis viduae Johannis Göbellii, [1664]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/b95cdp7p>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

ΣΥΝΘΕΩ

De

FOEMINIS
EX SUPPRESSIONE
MENSIIUM
BARBATIC

DISPUTATIO MEDICA
IN AUGURALIS

QUAM

JUSSU SCITUQUE

CRONIOSISSIMI ATQUE
AMPLISSIMI

COLLEGII MEDICI
IN ALMA ALTDORFFINA


Pro summis in arte Medica honoribus
Privilegiisq; Doctoralibus legitime impe-
trandis

Publicè examinandam proponit

JACOBUS BÜRLINUS
NORIBERGENS.

ADDIEM 23. JUNII

A. C. MDC LXIV.



Typis Viduæ Johannis Göbelii.

*MAGNIFICIS, MAXIME
STRENUIS ET NOBILISSIMIS*

DNN: DNN:

CONSULIBUS

CÆTERISQUE

SENATORIBUS

*INCLUTÆ ET FLORENTISSIMÆ REIPU-
BLICÆ NORIBERG:*

PATRIÆ PATRIBUS

*VIGILANTISSIMIS, PRUDENTISSIMIS
MERITISSIMIS*

**DOMINIS EVERGETIS AC
PROMOTORIBUS OPTIMIS,
MAXIMIS**

*PRO INNUMERIS ACCEPTIS BENEFICIIS,
GRATUM ANIMUM TESTATURUS, SE
SUAQUE STUDIA ULTERIUS COM-
MENDATURUS*

HANC SUAM INAUGURALEM

HUMILLIMA ANIMI SUBMISSIONE

Ex Voto

Offert, dedicat, Consecrat

AUTHOR.



Efero tibi B. L. more recepto, loco disputationis solennis, hoc quicquid est festinante nimium calamo exaratum, De foeminis hirtis & barbatis, non quidem illis, quas in Gorgonum insulis reperiri, & sine viris, velut equas Hippalenses vento, concipere, asserunt: quarum cutes duas, argumenti & miraculi gratia in Junonis templo posuit olim Hannio, fortissimus Pœnorum imperator, spectatas usq; ad Carthaginem captam, ut memorant Pompon. Mela l. 3. c. 10. Plin. l. 6. nat. hist. c. 31. Ne illud hominum genus ἄδυσμα γελῶιον παίδων factum, dum πάλυτον τῶν ἀνδρώπων, Simiam, pro homine obtrudere nobis audeat, ut validissimis argumentis evincit magnus ille ἀρχιερεὺς τῆς νομικῆς, Nobiliss. Dn. Nicol. Rittershusius, Fautor noster sincerè colendus; in orat. de foeminis hirsutis. De his vero nobis sermo est, quæ cetera inter animalia nobis proximiores, quæ & genere, & humano sanguine nobis junctiores sunt, quibus τὰ κατὰ μὲν ἡμέραν ἐκλείποντα, quorum collectio ad maxillas facta. Dolenda autem & commiseratione digna est foeminarum conditio; nam & hoc, inter reliqua mala domestica, & à virorum aegritudinibus distincta, habent, ut risu à quibusdam excipiantur, quando suos detegunt morbos peculiare, vel qui detecti, ipsi in conspectum prodeunt: Sic dum solatia expectant, sannas accipiunt. Quot sunt, qui minùs sobrii, audito tantùm presentis affectus nomine, improbas genas, turpissimo risu non contrahent, aliūq; sibi formabunt conceptum? qua ratione mori, nullò alio, quàm præfixo titulo, Disputationem nostram donavimus, scilicet, ne ansam animo tam turpiter egrotanti sive cavillandi, sive calumniandi, præberemus; non enim nescii sumus, huic nostro perverso seculo, æquè ac superioribus, homines non deesse, qui vocabulum barbæ foeminarum porcis quoq; tribuant. vide Adrian. Turneb. l. 6. Advers. c. 5. f. 208. Bonifacium in histor. ludic. l. 2. c. 21. Hanc etiam causam arbitramur fuisse, cur pleriq; Practicorum tacuerint. Sic infelicissimis foeminis nihil aliud, præter novaculam, quæ peste nihil hoc in morbo deterius, relictum; quò enim sapius pilos abradunt, eò frequentiores numerosiore sobole increscunt; inde causa malè ingravescit, succedit ingratus hospes, podagra, rubedo & acutissimi ar-

iculorum dolores, qui, pertinaces quandoq, vix remedio alio ullo, quàm
 citissima superveniente morte, mitescunt. Huc respexisse videntur vete-
 res, qui, ne fœmina genas raderent, XII tabularum interdicto cave-
 bant, restante Plin. l. II. c. 27. Scio, quando talem considerarent exi-
 tum, animum egrotum facile ad misericordiam ejusmodi cavillatores
 reducturos, atq, ad sui cognitionem perventuros esse. Perpende igitur
 quisquis es, morbi hujus atrocitatem, ipsiusq, eventum, si tibi cum Ho-
 mero quidem *πρόφρων καὶ δ' ἴν, καὶ θυμὸς ἀγύωνος*, ut Doctiss. Lipsius lo-
 quitur in introduct. ad lect. Senecæ, videbis multas rerum naturam
 mortis vias aperuisse, & multis itineribus fata decurrere. Hæc est conditio
 miserrima humani generis, inquit prudentiss. Senec. l. 3. Contr. 16,
 quod nascimur uno modo, multis morimur. Non dubito tandem,
 quin & meos quoq, *μαστιγῆς μερόπυς δόλιον μάλα ἥτορ ἔχοντας* habeam,
 quibus cuncta sordent, displicent omnia, & quod ipsi non fecere, non rectum
 putant, qui, me alias disputandi materias habuisse, exclamabunt; ex
 quibus sive lectoris, sive auditoris animus, minimè offendi possit: Sed pa-
 rum moror talia *σώματα ἀχάλικα*, quibus & ipsum Veneris Santalium,
 ut in proverbio, calumniari non est piaculum. Non placuerunt aliæ
 materiae, quia toties repetita hodiernis auribus ingrata, & sæpius recocta
 grambe tandem vilescit & nauseam movet. Alteri objectioni ut satisfa-
 ciam quoq, B. Lectori nihil aliud, præter hoc, relinquo: Si malum
 animum huc non attuleris, pejorem (spondeo) inde
 non auferes. Vale.



DISPUTATIONIS

De

FOEMINIS BARBATIS

THES. I.

BArbam, Latini vocarunt partem illam pilosam in mento & utrisq; labris; contra verò Græci, ob uberrimam linguæ suæ fecunditatem, certis nominibus distinxerunt: quamvis & ipsi quoq; pilorum congeriem in utraque maxilla, unica voce πώγωνα quasi πήγωνα vocarint, πήξιν γὰρ τῆς ἡλικίας σημαίνει, ut inquit Apollodorus apud Etymolog. In superiore labio μύσαλα & μετ' πωγώνιον, ut & ὑποπρίνιον: in inferiore verò ὑπὸ ἡνὴν & πάππον dixerunt. Vid. Cæll. Rhodigin. l. 3. lect. antiq. c. 25. f. 122. C. Hofmann. l. 2. instit. c. 19. pag. 66. Scapul. in πάππῳ. Bonifac. in hist. ludricr. l. 12. c. 14. p. 489. & seqq.

II. Tantæ autem venerationis olim erat, ut alterius barbam attrectare insolentiam summam atque piaculum putarent. Marcus Papyrius, referente T. Livio dec. 1. lib. 5. & Plutarch. in Camillo. captâ urbe, cum defuncti honoribus senes, apertis januis, in curulibus sellis, cum insignibus magistratuum, quos gesserant, confedisent, Gallo barbam suam permulcenti, scipionem eburneum vehementi ictu capiti inflixit. Vid. Val. Max. l. 3. c. 2. §. 7. quem Gallus stricto ense occidit, cæterique postea nemini mortalium pepercerunt. Diogenes dicebat, ut refert Pier. Valer. Hierogl. 32. barbam se ideo gestare, ut virum se recordaretur: Thesea, Hercules discipulum, ut virtutem ipse suam testaretur, barbam nunquam radere voluisse, scribunt.

III. Inde originem traxisse putat χαιέσαλ & C. Hofmann. in Comm. de us. part. l. XI. c. 14. n. 827. quod majores per barbam suam juraverint, quale quid de Othone I. merito suo Magno dicto, refert Cuspinianus in ejus vitâ. Veteribus præterea in more positum, ut supplices ad potentiorum genua per sacram ipsorum barbam obtestarentur. Hoc verò à mulieribus præcipuè factum, observavit in Græcis Tragœdiarum Scriptoribus laudatus Bonifacius l. c. Pro sanctissimo pignore, si cui obligata esset barba, habita fuit, teste Camer. in

in hor. succisiv. cent. 1. c. 36. p. m. 152. Apud Græcos, & ubiq; ferè in Oriente nō vulgare, barbæ per ignominiam resectio, supplicium fuit; nam & pœna stupri fuit, & hujus flagitii convictis, securi barba præcidebatur; sicuti hodierno adhuc die apud *Cretenses* pœnæ loco habetur, referente *Theveto in Cosmographia*, si barba tondeatur. Et olim, apud Indos, ob maximum perpetratum delictum, extremæ ignominiae obnoxii erant, quibus ex jussu regio barba ablata. De iis, quibus barba contumeliosè fuit præcisa, *Bonifacius l. c. lib. 12. c. 17. pag. 493. & seqq.* De pœna verò illorum, qui hoc per vim faciunt, *l. d. doctissim. Camerar. docebit. Cicero quoque, dum l. 3. de natur. Deor. impietatem Dionysii Tyranni sceleraque commemorat, non postremum hoc fuisse narrat: quod Æsculapii Epidauri barbam auream demi jussit: neque enim convenire dicebat, barbatum esse filium, quum in omnibus fanis pater imberbis esset. Vide hac de re subdubitantem Petr. Victor. l. 21. Variar. lection. c. XI. f. 526.*

IV. Sicuti igitur barbam deponere, nescio quid muliebri sapere plurimis visum; ita non defuerunt pauciores, qui *Clisthenes* videri voluerunt & luxu & mollitie eò adducti, mentum foeminarum instar glabrum perpetuò volebant. De proverbio *κληιδένην ὄρεω*, legimerentur *Desid. Erasm. & Hospinian. de Origin. Monachar. c. IX.* De *Heliogabalo* scribit *Dio: ἐψαλίζετο, ὥστε καὶ ἐν τῇ γυναικίσειν.* Plura exempla qui desiderat, & quando Romani mollitie Græcorum evirati barbas posuerint, quemq; luxum in rasurâ habuerint, inveniet elegantissima apud *Hadr. Junium de Comis c. 2. p. 489. Joh. Fier. Valer. in Apolog. pro Sacerdot. barb. pag. 3. Henr. Salmuth. in Panciroll. de nov. repert. 2. p. 118.*

V. Galen. l. XI. c. 14. de U. P. Cur viris barba nascatur? duplicem reddit causam: I. *διὰ τὴν σκέπην, ut partes ea virorum bene sine tecta.* II. *διὰ σεμνότητα, ut viri magis venerabiles sint.* Mulieribus verò totum corpus molle ac depile, puerorum instar, esse, & faciei glabritiem plurimum ad pulchritudinem facere, ait. Et quum mores non habeat æquè venerandos, ut masculus, nec forma quidem veneranda ei opus erat: semper quippe naturam moribus animæ, formam corporis aptam ac congruentem effingere. Hæc tamen κατὰ νόμον potius, quàm κατὰ φύσιν à Galeno dicta esse, ostendit *Σαυμάσιον* illud κατὰ C. Hofmann. in Comment. super hunc locum n. 826.

VI. Sed

VI. Sed quicquid horum sit, eadem non omnibus sunt honesta & turpia, ut inquit in *præfatione Corn. Nepos*. Quotiescunque foeminae adnascitur barba, pro summâ turpitudine & dedecore habetur; & portentosum esse vult *Joh. Pier. Valerian. l. c. p. 23. Epictetus quoq; lib. 3. c. 1.* inquit: *Mulier natura levis ac delicata, & si multos pilos habuerit, monstrum est.* Nos præternaturale & morbosum quid censemus. Oritur autem hoc malum, quando fit collectio fuliginum præternaturam retentorum, ob temperamentum mutatum calidius ex suppressione mensium à sanguine calidiori nata, supervenientibus interdum Symptomatibus gravissimis.

VII. Tam diro autem morbo foeminas corripit & nitidam alias faciem aspectu horrendam fieri, cum doloribus articulorum incredibilibus, Epilepsia, &c. celebrium authorum testimonia perhibent, & quotidiana rerum magistra experientia declarat.

VIII. *Hipp. lib. 6. Sect. 8. t. 55. τὼν ἐπιδημιῶν*, inquit: *Abderis, Phaetusa Pythæ conjux antea per juventam fecunda erat, viro autem ejus exulante, diu menses defecerunt, ex quo postea dolores & rubores ad articulos exorti sunt. Quæ ubi contigerunt, tum corpus virile, tum in univ ersum hirsutum est redditum, barbaq; est enata, & vox aspera reddita. Et ibidem t. 56. Idem quoq; in Thaso Namysia Gorgippi conjugi contigit. Aristot. l. 3. Histor. animal. c. 11. hæc habet: Pili in mento mulieris non prodeunt, nisi interdum pauci, cum menstrui cursus substiterunt: & in terra Caria mulieribus Sacerdotibus evenire ajunt; quod divinationis indigium interpretantur. Herodot. lib. 1. hist. Halicarn. c. 175. f. 73. author est, Pedasios, aliosque his finitimis, maximam diligentiam adhibuisse, ut apud eos foemina antistes, quæ Palladis Sacerdotio fungebatur, sacram in labro barbam haberet, id quod ter illis accidisse commemorat.*

IX. Hujus forsitan gratia, 'Cyprii, teste *Macrobi. lib. 3. Saturnal. c. 8. p. 320.* barbatam Venerem coluerunt, Deumque Venerem, non Deam voluerunt. Et *Causin. p. 675. ex Arbitro* notat: Veneris barbam candidam, in pyxide aureâ non pusilla reservatam, in vit. Trimalc. Inde *Aristophanes* Venerem ἀφροδίτην, non ἀφροδίτην vocat, *Levinus* etiam, Venerem, inquit, alium adoro, sive foemina, sive mas est. Adi *Joh. Isaac. Pontan. in not. ad Macrobi. p. 629.* ubi non dissimile de Parthis invenies. Sed desino in his, & ad magis necessaria propero.

X. Gallam, Symmachii Consulis & Patricii Romani, filiam, barbam habuisse & palam gessisse, *Aventinus* narrat *lib. 3. Bojor. Annal. Alexand. Benedictus lib. 27. de Cur. morb. par. c. 4.* refert, se vidisse in Græciâ foeminam quandam, quæ prius sæpius conceperat, ex abstinentia, purgationibus menstruâ sublatâ, barba exorta, ac vox corporisque habitus in virilem mutatus est. *Benedictus Sylvaticus Cent. IV. Consil. II X. f. 478.* foeminam ositoris cujusdam uxorem, toto corpore hispidam, & aliam, in aulâ Cæsareâ, promissam barbam habentem vidisse se, gloriatur. *Consil. postea XII. Cent. IV. f. 448.* alterius barbatae meminit, quam Patavii vidit. Quod posterius confirmat, & uberius describit *Clariss. Joh. Rhodius Cent. 3. obs. Med. XL. p. 162* dum inquit: *Anno 1627. Decemb. XI. Patavii cum marito visa mulier Neapolitana quinquaginta annorum, cui decimo sexto hinc mense, deficiente fluxu menstruo, barba erupit, quam nunc aluit nigram densam, mediocriter promissam. Vox ei virilis, mammae moderatae magnitudinis, satis hirsutae. Sexu foeminam testabantur ceterae mulieres.* Hæc ille. *Cass. à Rejes in Campo Elys. jucund. quest. 57. f. 421. ex Jacobo Segarra* refert: *Brigidam Pennarandam foeminam Hispanam barbam densam & palmi longitudine prominentem habuisse.* Huic menses ab anno 12. pauci eruperant, ad 18. perdurantes, barbâ tunc apparere incipiente, sensimque crescente, omnino in posterum suppressi sunt. Et *Joh. Euseb. Nierembergius lib. 2. de miracul. natur. c. 35.* alterius ex *Grimaldo* meminit, cujus barba umbilico-tenus descendebat.

XI. Famosissimus Belli Belgici Scriptor *Famianus Strada l. 1. f. 30.* De Margarita Austriaca Caroli V. filia scribit: *Hujus animus non solum muliebrem conditionem supergressus, sed etiam habitus quidam corporis incessusq, quo non tam foemina sortita viri spiritus, quam vir ementitus veste foeminam videretur. Nec deerat mento, superioriq, labello barbula, ex qua virilis ei non magis species, quam auctoritas conciliabatur: Imò quod raro in mulieres, nec nisi in praevalidas, cadit, podagra identidem laborabat.* *Balthasar Bonifac. præclare* barbatam Bolderiam Comitissam Veronensem vidit *l. c. lib. 12. c. 14.* Talis quoque in Gynæceo Archiducis Austriae juvencula 30. annorum visa, quæ à teneris annis ante mensium eruptionem barbam viri in morem promissam cum mystacibus alebat, ut narrat *Clariss. Bartholinus Cent. 1. hist. 42. p. 68.* apud quem & duas alias historias reperies. Bononiæ quoque in *Ulyss. Aldrovandi Musæo* effigies foeminæ barbatae asservari solet.

XII. Georgius Wilhelmus, Dux Brandenburg. virginem secum ducere solebat, cui nomen, Anna Sophia: hæc barbam rubram, densam & promissam alebat, quam virginem sæpius vidit Excell. & Experientiss. Dn. D. Mauriti. Hoffmann. Anat. Chirur. & Bot. P. P. Fautor & Præceptor noster fidelissim. colendiss. ex cujus relatione hæc habemus.

XIII. Talem & nos Lutetiis Parisiorum vidimus, quæ in mento & labris admirandam barbam habuit. In superiore labro insigniter barbatam foeminam quinquagenariam, & in Æde S. Antonii stipem colligentem, Patavii nobis observare licuit. Hæc singulis septimanis bis aut ter, ut ipsamet fassa, forficem adhibere cogebatur. Vidimus insuper Noribergæ non ita pridem Virginem quandam, ad senium jam inclinantem, quæ, licet ante triduum, barbam rasisset, labra quoque & mentum ad rubedinem & sanguinem usq; pumice fricuisset, nihilominus tamen non mediocrem in mento barbam habebat, & mystax copiosissimo pilo nigro superius labrum obfuscabat.

XIV. Prius autem, quam ad hujus rei causam properemus, firmandum nobis restat, has foeminas manere, neutiquam verò in viros mutari, ut ex barbâ falso colligunt gravissimi authores: dum eum in finem hæc nostra exempla quoque afferunt, quibus probare nituntur, foeminas reverà in viros mutari posse. Quod posterius, æquè ac prius negamus, & impossibilitatem in sequentibus monstrabimus. Sed audiamus ipsos.

XV. *Plin. lib. 7. c. 4. Ex foeminis mutari in mares, non est fabulosum. Invenimus in annalibus, P. Licinio Crasso, C. Cassio Longino Coss. Casini puerum factum ex virgine sub parentibus, jussuq; Aruspicum, deportatum in insulam desertam. Licinius Mutianus prodidit, visum à se Argis Arescontem, cui nomen Arescuse fuisset, nupsisse etiam, mox barbam & virilitatem provenisse, uxorem duxisse. Ejusdem sortis & Smyrnæ puerum à se visum. Ipse in Africa vidi mutatum in marem nuptiarum die L. Costium civem Tusdritanum. Vide hæc confirmantem Aul. Gellium noct. Att. l. 9. c. 4.*

XVI. *Volaterranus l. 4. Comment. Urban. & l. 29. c. de vesica, mentionem facit Virginis Romanæ, quæ ipso nuptiarum die, subito erupto genitali, vir marito apparuit. Claud. Cesarem prodigio motum, Jovi Avernunc aram in Capitolio posuisse, cum elegans & 13. annorū virgo, ipsa nuptiarum nocte vehementissimis doloribus*

correptâ, post tertium diem, penem emisisset, constans fama est. T. *Livius l. 4. Secund. Belli Pun.* Spoleti ex muliere virum factum scribit. Id quod iterum in eâdem urbe Spoletana contigit A. 1574. ubi puella 18. annorum in virum evasit, asserente *Marcello Donato hist. med. mirab. l. 6. c. 2. p. 298.*

XVII. Genuensium dux *Baptista Fulgosus l. 1. de reb. mirabil. c. 6.* similem historiam recitat de duabus sororibus *Francisca & Carola* dictis, ex patre *Salernitano* natis: His ambabus, cum ad 15. ætatis annum pervenissent, genitalium membra marium more erupere. Unde naturâ & habitu mutatis, nomen quoque mutarunt & *Franciscus & Carolus* vocati. *Jov. Pontanus l. 10. de reb. cœlest. scribit: Cajetæ* piscatoris uxorem (quo cum annos multos rem *Veneream* miscuerat) repente virum esse factum; Hinc quia à viris pariter ac mulieribus rideretur, religiosum vitæ genus eligendo in monasterium abiit.

XVIII. His & similibus auctorum testimoniis mirandæ huic metamorphosi, robur addere summâ ope, nituntur. Plura, qui desiderat exempla, adeat *Schenck. l. 4. observ. 6. f. 502. Marcell. Donat. l. alleg. Fortun. Licet. l. 2. de monst. c. 54. p. 172. seqq. Martin. Weinrich. de ortu monst. c. 50. p. 73. & seqq. Ambros. Paræus l. 24. c. 5. Montuum Med. Theor. l. 1. c. 6. Hier. Mercurial. lib. 6. var. lect. c. 20. p. 136. Lang. l. 1. Epist. 70. aliosque qui quæstionem, utrum foeminæ in viros abire possint, tractarunt.*

XIX. Barbatas nostras, de quibus nobis sermo, in viros mutatas, evincere velle ex illis *Hippocr. l. d. videntur* antagonista, quando ait: Τέτων δὲ Συμβαίντων, τότε σῶμα ἡνδρώθῃ, καὶ ἐδασύνθῃ πάντα. καὶ πύχωνα ἔφυσε, καὶ φωνὴ γυναικίῃ ἐγενήθη.

XX. Sed arbitramur viros, in arte aliâs peritissimos, deceptos fuisse vocab. σῶμα ἡνδρώθῃ, corpus virile factum, quod non tam ad mutationem partium, quæ sexus distinguunt, quam ad temperamentum foemineum mutatum, referendum, existimamus. Sicut enim γυναικωθῆναι muliebrem naturam induere, & effoeminari est, ita ἀνδρωθῆναι contrarium significat. Vid *Foësius in Oeconom. Hipp. in ἀνδρῶδαι. f. 57.*

XXI. Hoc divinus *Hipp. text. seq. satis aperte declarat: ἐδόκει δὲ, inquit, πᾶσι τοῖσιν ἰητροῖσιν οἷσι καὶ γὰρ ἐνέτυχον, μία ἐλπίς εἶναι, ὥς γυναικωθῆναι, εἰ τὰ κατὰ φύσιν ἔλθοι. Omnibus autem medicis, cum quibus etiam*

bus etiam collocutus sum, unica spes adesse visa est, ad muliebre naturam reduci posse, si menses secundum naturam procederent.

XXII. Minimè certè in promovendis mensibus tam anxius fuisset Hipp. si mutatae fuissent in viros, quos præstare foeminis, & ipsi afferunt, cum sint perfectiores & à natura magis expetantur. Hos autem non convenit medicamentis menses cientibus aggredi, quippe, quibus carent; neque partes protrusæ ejusmodi medicamentis absumi potuissent, vel etiam debuissent.

XXIII. Gravior erit lapsus eorum, qui ex *Galen. Com. I. in lib. 3. Epid.* asserti sui veritatem probare vellent, nisi eodem dicto explicetur τὸ ἀνδρωθῆναι. Verba *Galen* recitat *Foësius* in nostrum *Hippocr.* locum: Καὶ πάλιν ἐν τῷ ἑκτῷ ἰσορεῖ, ἀνδρὲς ἀποδήμιου γενομένους, ἀργυσιμένην τῷ μοεῖω τὴν γυναῖκα, ἀναληφθέντων, τῶν ὀπιμνίων εἰς τὸ σῶμα φύσαι πάγονα, καὶ πὴ γὰρ ἄλλο ἢ ἀνδρωθῆναι τὴν γυναῖκα. h. e. Iterum in 6. narrat, viro peregre profecto, feriatam illa parte mulierem, collectis ad os mensibus, barbam produxisse. Quod quid aliud est, quam foeminam in virum mutatam.

XXIV. At scimus imberbes etiam quoque viros esse. Nam barbam maribus tantum ad ornatum, non ut partem necessariam ad vitam datam volunt. Unde & ab *Aristotele* in *prob. f. 10. prob. 27.* nec non *Misonio de tonsurâ* (ut est apud *Stob. serm. 6.*) barbae jubæ leonum & cristæ galli æquiparatur. Et licet istæ foeminæ barbatae factæ fuerint, num ideo viri nomen mererentur? Minimè. Quid enim de utero dicendum, de quo magis muti quàm pisces? Ubi illum natura transposuit? An mas jam factus adhuc uterum retinet? Quis non videt, absurda hæc esse, & ut credantur, indigna; barbam quidem, sed virum non videmus, simili modo, ut *Herodes Atticus* apud *A. Gellium l. 9. c. 2.* qui, cum crinitus barbaque fermè ad pubem porrecta philosophus eum accessisset, barbam quidem, sed sapientiam non videbat.

XXV. Cæteras verò quod attinet historias, foeminas in masculos transiisse; & hoc longè à vero alienum videtur, quare veniam nobis dabunt viri celeberrimi, si dissensum ab ipsis, veritatis amore coacti, faciamus.

XXVI. Certè, si ex Anatomicis rem penitus introspeciamus, facillimè hujus rei impossibilitas emergit, ut infra clarius videbimus. Arbitramur autem tales nunquam foeminas fuisse, & vel ex incuria

obstetricum & matrum, vel ob exilitatem genitalium sub foemineo habitu latitasse.

XXVII. Cujus rei exemplum manifestum habemus apud *Severin. Pineum l. 1. de not. Virginitat. probl. 2. 85.* quod contigit Lutetii Parisiorum An. 1577. in vico S. Dionysii, ubi mulier noctu filium peperit. Hic ob virium imbecillitatem festinanter baptizatus fuit, & quia filiam putarunt, Johannam vocarunt. Post aliquot dies, mater filium esse observavit, quem talem esse, cæteræ mulieres non sine magno applausu & admiratione agnoverunt. Similem historiam ex *Franc. Nodeo Chirurg.* sæpius se audivisse, idem author testatur.

XXVIII. De alio, qui pro puella baptizatus, historiam *Platerus refert l. 3. observat. p. 350.* Hic usque ad annum 20. foeminarum munia obibat, omnibus puellam existimantibus, cum quibus versabatur & dormiebat; donec paulò liberius eas contrectare coepit, & cuidam suo vicino, cum ejus uxore lasciviens licentius, suspicionem non levem de turpi commercio iniecit. Delata res ad Magistratum, à *Platero* inspectus, mentulâ & testiculo dextro inventis, vir judicatus, & postea poenæ loco in Hungariam militatum ablegatus est.

XXIX. Interdum genitalia sub cute latent, ut dignoscere non liceat, cui sexui annumerandi. Et si id sæpius contingit in foeminis quòd clausæ nascantur in illa parte, ut ferro via facienda. Consule *Anton. Beniven. de abd. morb. caus. hist. 28. Aetium Serm. 4. c. 96. Paul. 6. c. 72. Marcell. Donat. l. c. 1. 6. c. 2. Fabr. Hildan. cent. 3. obs. 61. Bartholin. cent. 5. hist. 42. Cassp. à Rejes l. c. quest. 91. Franc. Ranchin. tract. de morb. Virgin. Sect. 3. c. 1. p. 373. & seqq.* Cur non etiam in pueris accidere potest, ut contracto genitali membro, membrana super inducatur, ut à non attrectantibus & imperitis habeantur puellæ?

XXX. Huc facit historia *Alberti Magni l. 18. de animal. tr. 2. c. 6.* qua refert testiculos intra pellem in quodam contentos fuisse, suaque prominentiâ labra vulvæ muliebris repræsentasse, relictâ in medio fissurâ clausâ. Hanc ut ad virum ferendum idoneam redderent parentes, chirurgi opem poposcere, facta incisione, testiculi & virga in conspectum venire, uxorem duxit, plures ex ea genuit filios. De consanguineo & conterraneo suo, cui testiculi perpetuo in abdomine latent, Romæ nobis communicavit historiam, amicus noster *Dn. Tassau Dantiscanus.* Adde *Thom. Bartholin. cent. 1. hist. 36. pag. 56.*

XXXI. Hinc fit, ut interdum à causâ aliqua externa violenta, in lucem prodeant membra, quæ talibus diu negabantur. *Georg. Ber- tinus l. 4. c. 10. f. 70. sua Medicin.* meminit cujusdam, qui ob genitalia intus inclusa pro muliere habebatur; huic vehementius saltanti, ge- nitalia prorupere. Consimilem huic historiam adducit ex *Mich. Montano. C. à Reyes l. c. quæst. 57. Paræus l. 24. cap. 5.* memorat, viro cuidam ad quintum usque decimum annum pro virgine habito, dum aliquando in agro porcos suæ curæ demandatos & in mes- sem irruentes acrius persequitur, & fossam obviam magno impetu transilit; ruptis vinculis virilia derepente & haud sine dolore emer- sisse. In casam is regressus, apud matrem ejulans conquestus est, sibi ab alvo intestina proflire. Quo spectaculo attonita mater, Medicis in consilium adhibitis, audit eam in virum evasisse.

XXXII. Contingit hoc idem ex mutatione ætatis. Nam sicut foeminis, quam primum menses iis fluere incipiunt, mammæ statim augentur, quod sororiare vocant & fratrare *Aristoteles l. 7. H. A. c. 1.* dixit. Hæc cum incipiunt, salaciores evadunt, & maximè ad usum rei Venereæ incitantur; hinc fit, ut per id tempus custodiri præcipue debeant, monentibus *Aristotele l. c. Botton. l. 1. c. 16. de morb. mulier.* Ita juvenibus quoque, quando incipiunt semen generare, membrum frequentius ob spirituaſcentiam materiæ seminalis circa illud collectæ erigitur, & quia in nostris, ob angustiam loci, majus sibi spatium quærit, fit via viatque erumpit, quemadmodum vidit in filio aroma- tarii Romani ad turrin sanguineam *Doctiff. Pignor. referente Licetò de monst. l. 2. c. 54.* cui anno XII. penis erupit. Adjunge *Amat. Lusitan. cent. 2. cur. 29.*

XXXIII. Imò ejusmodi quid contingit sæpius ob adductam rationem, appropinquantibus nuptiis, ut exempla ex *Volaterrano & Plinio* manifesta sunt. Congressum verò, quem illi legitimè fieri urgent, negant frequentiora divortia. Consule *Licet. l. c. p. 176.*

XXXIV. Unde omnem fidem superare judicamus historias illas, quibus affirmant, aliquas jam peperisse, postea verò in viros mutatas: hoc si factum, uti factum autoritatibus virorum fide dignis- simorum demonstrant, in eorum sententiam inclinamus, qui dicunt, tales vel revera foeminas, de quibus vide *Plemp. in fund. Med. f. 139. Zacut. l. 2. prax. mirand. obs. 82.* vel ex genere Hermaphroditorum fuisse. Horum enim aliquos in se ipsis concipere & in aliis generare posse, tot observationes fidem faciunt. Huc refer *Hier. Montuum*

l. 1. c. 6. Med. Theor. Robert. Guaguin. l. 10. Annal. Gall. Fort. Licet. l. 6. Schenck. l. 4. obs. de genital. Ambros. Paræum l. 24. c. 4. Roderic. à Castro de natur. mulier l. 3. c. 13. Bartholin. Cent. 3. hist. 12.

XXXV. Argumenta verò à contrario petita, quibus viros quoq; in foeminas transmutari, probare conantur, minimè nos movent; nam testimonia quibus ea fulciunt, sublestæ nimis fidei & poëtarum fabulæ videntur. Ad illud de Scythis, in foeminas mutatis, quia Veneris Uranix fanum depeculari sunt, ut *Herod. l. 1. c. 105* scribit, pro nobis respondebunt *Hipp. l. de aère aq. & Mercurial. l. 3. Variar. lect. c. 7. Bonifac. l. 6. c. 5.*

XXXVI. Ultimum, cur foeminae in viros mutari non possint, est genitalium partium utriusque sexus diversitas & dissimilitudo in substantia, compositione, situ, figura, actione & usu; adeo, ut in universo corpore, tanta inter ullas, quam inter has, non deprehendatur differentia. Longus nimium essem, si per singulas nominatas species ire vellem, sufficiat hic ipsis obviam saltem ivisse.

XXXVII. Persuadent sibi autem loco ex *Gal. l. 4. de U. P. c. 6.* citato, Partes genitales foeminarum non nisi situ & positione differre, & à calore potentiori superveniente foràs pelli. De calore tam potente merito dubitatur, de viis verò, quas ex ingenio concipiunt, sibi ipsis non constant. Quid si calor etiam extra abdomen testiculos protruderet, quid est, quod illos investiat? Noluit natura sic nudos pendere, quos quintuplici tegumento circumsepsit.

XXXVIII. Neque illi quid evincunt, qui scrotum fieri posse ex inversione uteri dicunt; nam præter illud, quod crassities & durities fundi repugnet, sequeretur maximum incommodum, nam semen in utroque latere scroti excerneretur.

XXXIX. Absurdiores sunt, qui uterum circumvolvi, fundumque deorsum, cervicem sursum verti volunt, quem licet animal dixerit divinus *Plato* (hoc quomodo intelligendū vide *Capiv. in Meth. anat.*) minimè tamen instar equi aut alterius animalis in gyrum gyrari potest. Accedit, quod hoc non fieri possit sine ruptione quatuor ligamentorum cæterarumque annexarum partium, unde sævissima orientur symptomata, nec quid moleni illam postea sustentet, liquet, quemque aquæductum introducant, non patet. Nam si talis inversio esset, orificium vesicæ introrsum hiaret, & urina, magno cum incommodo & dispendio vitæ, in abdomen profunderetur.

XL. Ut virgarn constituent, mirè sese torquent; pars, veterum
nym

nympham, capacem statuit, sed repugnat partis exilitas, desunt præterea muscoli necessarii, præputium, & urethra in hac imperforata parte, & capsulas seminales quomodo huic parti jungent, velim nobis explicent. Magis turpiter sese dant, qui partem illam formare audent ex uteri cervice, hanc, qui iterum atque iterum inspexerunt, quàm apta ad hanc rem sit, judicabunt.

XL I. Ratum igitur est, masculos hos antea fuisse. Non enim homines hyænarum instar mutantur, de quibus fabulatur *Plinius l. 8. c. 30.* & strenuè negat *Aristot. l. 6. H. A. c. 32.* quibus utramque naturam esse, & alternis annis mares, alternis foeminas fieri ajunt, ut legendum putat *Sigism. Gelen. in Castigat. Plinian. in h. l. vide nostram opinionem confirmantes Cardan. l. 8. de rer. varietat. c. 43. f. 319. Fortun. Licet. l. c. Severin. Pinæum. & C. Rejes in supra dictis locis. Horst. l. 1. de natur. hum. exerc. 7. quæst. 1. Sennert. l. 3. P. M. Par. 9. sec. 1. c. 13.*

XL II. Discussis hisce tenebris, redeamus illuc, unde digressi sumus: Diximus supra, barbam foemini præter naturam nasci; quia autem omnis præter naturam affectus, aut morbus est, aut causa morbi, aut illius symptoma: quæritur ad quam classem pertineat? Nos moti dictis à *Galeno l. de sympt. differ. & causis.* ad postremam classem referimus.

XL III. Succedit consideratio subjecti primarii, cujus vices sustinet utraque maxilla: subjectum verò *συνπαχυν* est uterus cum suis vasis.

XL IV. Causas quod attinet, dividuntur illæ in immediatas & mediatas: Immediata est suppressio menstrui sanguinis crassioris à fortiori calore virilem æmulante. Talis quando adest, contingit, ut ex sanguine quadantenus assato elevatis in totum corpus & faciem fuliginibus aliisque superfluis chylosis portionibus nutritiis pilorum materia, hirsutæ fiant, barbamque protrudant & vocem graviolem proferant, dilatatis & robustioribus factis vocis organis à virili calore harum mulierum. Ad *Sylv. Cent. IV. Cons. II X. p. 478.* Sicco prætereo pede brevitatis causa tractationem de generatione pilorum. Videri de eâ merentur *Tb. Minad. l. 1. c. XI. de ext. affect. f. 13. Joh. de Conco regio in pract. nov. tr. 1. c. f. 3.*

XL V. Observandum autem, aliquando in totum evacuationem menstruam tolli, aliquando saltem imminui: novimus uxorem lanii cujusdam, cui succreverat barba in superiore labro, quam singulis septimanis aliquoties abscindere cogebatur: hæc sæpius concepit, felicissime-

cissimeque prperit, cæterum modice admodum purgabatur.

XLVI. Sequuntur nunc causæ mediatae, proximiores tamen, quæ sc. suppressionem mensium respiciunt. *Gal. 5. Aph. 57.* ad tria capita refert: Ε'λάττω, inquit, κατὰ μὲν τὰ δύνατον ἐστὶ γινέσθαι διὰ τε μύσιν, ἢ ἐμφορᾶς τῶν τὴν ἔμμηνον χάρασιν ὅτι τὴν μήτραν φερεσὼν φλεβῶν 2. ἢ διὰ πίχθαι αἱμαίνθαι, 3. ἢ διὰ ψυχρότητα καὶ ῥώμην αὐτῶν τῶν κατὰ τὴν μήτραν ἀγγείων, ὥς μὴ ἀποστρέφεται τὸ ὅτι ῥέον. Nos quamvis cætera non excludamus, sanguinis tamen crassitiem in nostro affectu primariam causam esse, affirmare non dubitamus.

XLVII. Qualitate autem peccat, & crassus fit sanguis à calore nativo præter naturam aucto, plures, quam debebat, pabuli sui portiones absumente, propriamque substantiam condensante. Vide *Heurn. de morb. mul. c. 1.* Unde non possunt non obstrui à sanguine quasi inspissato viæ ad uterum, venæ nempe & arteriæ. Consule si placet Doctissim. *Phrygium Com. in hist. Epidem. Hipp. par. 1. Ægr. 5. p. 93.*

XLVIII. Quæ afferunt authores de nimia sanguinis copia suppressionem causante, quam etiam *River. concedit l. 9. c. 2.* locum hic habere non videtur, neque possibilem esse, *Trincavell.* putat. De reliquis causis, quæ mensium suppressionem promovere possunt, vide *Senn. l. 4. M. P. par. 2. Sect. 2. c. 3.* aliosque Practicos.

XLIX. Non relinquendæ causæ mediatae remotiores, in quarum potestate est, de naturali in præter naturalem statum corpora nostra dejicere. Temperamentum calidum & siccum, tam corporis totius quam ipsiusmet uteri non minima causa est, & res non naturales symbolum suum huc afferre solent, quarum prima est aër, cujuscumque necessitas, ut sine eo, sive in secundâ, sive in adversa valetudine, vivere ne momentum quidem possimus: calidus igitur aër humores calefacit, absumit, & siccitate sua densat & dissipat. Anni tempora calidiora & sicca, ut & regiones calidiores huc plurimum faciunt.

L. In cibo & potu delinquant ægræ, quando alimenta calidiora & sicciora, quæ crassum & fervidum sanguinem generant, assumunt, aromata item & quæ sanguinis liquorem absorbent ejusdemq; caliditatem augent: Vigiliæ immodicæ malæ: Violentiores motiones, humores turbant, spiritus accendunt, ut universum corpus incalescat, quo facto menses pereunt, ut frequenter accidit saltatricibus; & hanc non levem causam arbitramur fuisse, cur *Margaritæ Austriacæ* barba adnata sit. Sic enim *Fam. Strada: Vires illi tantæ*, inquit, ut
venar

venari cervos mutatis ad cursum equis consueffet, cujusmodi venationi homines perquam robusti succumbunt.

L I. Excernenda si præter naturam retineantur, maximè nocent, præcipuè, quæ ad Venerem spectant; adjuvant strenuè inde orta animi pathemata, ira, tristitia, metus, terror subitaneus &c. *Phærusæ & Namysæ* ex desiderio maritorum menses sublati. *Ballonius* in virgine quadam menstrua patiente, dum humi cecidisset, & verita esset, ne naturalia detexisset, præ pudore statim defuisse menstruam purgationem, refert l. 2. *Epid.* p. 271.

L II. Signis non indiget præsens affectus; causarum verò signorum naturalium, tum non naturalium & præter naturalium etiam, si quis *σοχασµὸν* adhibere velit, latere non possunt. De signis Diagnosticis suppressorum mensium passim apud Practicos tibi satisfiet.

L III. Ordine sequitur *αἰώνιος* vitæ & salutis: quando incipiens barba nondum altas radices egit, facilius ablatu; quo densior fruticat, maximis laboribus vix evelli poterit. Innuat enim totalem & diuturnam mensium suppressionem. Arthritis, podagra, articulorum rubedo, &c. gravius malum denuntiant. Salutem promittunt virium nondum prostratarum robur & ætas florens, senioribus enim, aut quibus, naturæ ordine jubente, menses jam defecere, plerisque *συναποθνήσκει*.

L IV. Hisce consideratis, recepta methodus nos ducit ad curationem, quam summus Medicorum *Hippocr.* l. c. insinuat sequentibus: *Unica spes adesse visa est, ad muliebrem naturam reduci posse, si menses secundum naturam procederent.*

L V. Maturanda itaque curatio est, quia longiores inducias sæpius non permittit affectus; *Abderitanam & Thasiam* brevi mortuas esse ex dicto authore constat: & quo inveteratior suppressio, eò curatu difficilior, adeò ut summus *Dictator* l. de morb. mul. dicat: *si mulieribus mensium suppressio ultra sex menses protahatur, nullo eam amplius ingenio revocari posse.*

L VI. Hoc non ita intelligendum credit *Viç. Trincavell.* l. XI. de part. corp. aff. c. 4. f. 308. non quod omnino nequeat, sed quod raro & non facile id fieri possit. Nam ipse *Hipp.* lib. 4. *Epidem.* t. 33. mentionem facit ancillæ, cui per septennium menstrua suppressa erant,

quæ tandem curata, & s. *Epidem. t. II.* ait *Gorgia* uxorem per 4. annos suppressione mensium laborantem concepisse & peperisse. *Vincent. Alfarius Crucius de quæsit. per epist. Cent. 4. f. 284.* ex *Alexandro Petronio*, mulieres quasdam post quinquennalem & septennalem mensium cessationem concepisse, refert.

L VII. Ut præsens affectus tollatur, removenda causa est, quam suppressionem diximus, hæc aut. quia oritur à sanguine crassiori, convenit, monente *Galeno l. 5. Aph. Comm. 36. λεπύνειν τὸ αἷμα.* si alia impedimenta adsunt, & illa sui ablationem indicant.

L VIII. Prius autem ut assequamur, respectu quantitatis sanguinis auctæ, opus est inminuentibus, sive evacuantibus; respectu crassitie, attenuantibus, incidentibus & sanguini fluxum conciliantibus; & respectu caloris ejus, excedentis; attemperantibus, habita insuper virium & partium & totius ratione.

LIX. Præsidiorum materiæ communiter petuntur ex tribus usitatis fontibus, Chirurgia, Pharmacia & Diæta.

L X. Chirurgia venæ sectionem ceu πρώτον ὑπερ ἀπάντων καὶ μέγιστον ἐσόμενον βοήθημα commendat. Doctissim. Franc. Vallesius Comm. in Epid. Hipp. in h. l. Videtur mihi, inquit, in his utendum fuisse missione sanguinis, ex quibusdam intervallis, quæ naturalem ordinem imitarentur, repetita, & balneis aquæ dulcis, & victu refrigerante.

LXI. De remedii materia nunc constat; de loco vero ex quò, controversias agitant authores. Alii ex inferioribus, alii ex superioribus venis sanguinem mittendum affirmant: Aretæus non videtur in his vim multam facere; venas enim inferiores in cruribus, vel pedibus esse secandas, quando illæ facile à chirurgo inveniri possunt: alioquin si illæ difficiles inventu sint, secari eas posse, quæ in brachio sunt. Vide de hac re multum disputantem Peritiss *Victor. Trincavell. l. c. f. 309.* Adde si placet, *Petr. Franc. Phrygium Com. in histor. Epid. Hipp. par. 1. Ægr. IV. p. 78. seqq.*

LXII. Non aliena ab Aretæi sententia hodie est plurima pars Neotericorum, quæ *Harvæi* doctrinæ & inventis de circulatione sanguinis favet: Hunc tamen sanguinis motum circularem dudum antea docuisse *Paulum Sarpam* Mathematicum in signem & *Andr. Casalp. pin.* philosophum eximium, (addimus *C. Hofmannum*) ostendit vir Clariss.

Clariss. Thom. Cornelius Medic. Neapolitan. in recenter editis progymnas. phys. Neque etiam veteribus illa incognita; Ex nostro Hippocrate solide probavit *Præceptor noster fideliss. Excellentiss. & Experientiss. Dn. Joh. Anton. von der Linden / Professor primarius Lugduno-Batavus*: Ex *Galeno* locum qui desiderat, inspiciat *cap. ultim. lib. 3. de facultatibus*. Tam eleganti autem ordine hanc doctrinam de sanguine proposuisse, & tam firmis rationibus neminem, præter *Harvæum*, stabilivisse, etiam invidi affirmare coguntur.

LXIII. Malumus nos venæ sectionem præferre in partibus inferioribus ceu utero proximioribus; sed quia poplitis vena saphenæ propago utero vicinior, raro invenitur, ex mente *Æginetæ lib. 3. c. 61.* juxta malleolum venam secandam suademus, ceu in loco tutiori, quia caret comite arteria, & nervus quoque ab eâ remotior est, si & hæc ad votum non compareat, in dorso pedis vena secanda. Quæ objici possunt ex *Gal. lib. de Cur. ratione per Venas. c. 11.* & *Jacobo Thevart. in annotat. ad lib. 2. Epid. Gal. Ballonii. p. 135.* nobis adversari non videntur, cum ea in pinguioribus & frigidioribus potius, quam in nostris locum inveniant. Non displicet tamen ratione totius venam in brachio secare. Sanguis ex mente *Vallesii* per intervalla educendus, habita circa quantitatem virium ratione. Ante venæ sectionem victus attenuans, & talia, quæ sanguini facile fluorem conciliare possunt, adhibenda. Hirudines quoque applicatæ hic sua laude non destituuntur.

LXIV. Pharmacia exhibet varia remedia. Famosissimus & ob felicem praxin ditissimus Medicus Patavinus *Bened. Sylv.* in simili casu proponit aq. Tettutianam triduum epotam ad ℥iij. quotidie cum ℥iij mell. ros. solut. II. Jus galli junioris, flagellati, eviscerati, sale conditi, & decocti cum rad. fœnic. cichor. pentaph. malv. puleg. & calam. præmisso illi bolo ex castoreo & tereb. laric. viginti dies assumptum, tandem lac asininum totidem dies epotum ad ℥v. quotidie cum buccella panis & modico Saccharo quinq; horis ante prandium; Hisce sanguini fluxus comparatur, & jecoris sanguinisque fervor contemperatur.

LXV. Vel possunt adhiberi pro præparatione humorum syr. de bet. de Cort. Citr. ex succ. borrag. præmisso lenit. ex fl. Cass. rec. extr. cum mod. spec. Hier. simpl. Valentiora præparantia attenuantia &

humectantia si adhibenda: erunt. syr. de pom. comp. de fum. comp. de liquir. & cap. ven. cum. decoct. cich. agrim. cap. ven. malv. & borrag. quibus itidem præmitti potest bol. ex Tereb. Cypr. cum. ammon. Cryst. tart. tart. vitr. tinct. tart. simplex & tart. tinctura coralata, si in tempore adhibeantur, optime conferre videntur.

LXVI. Balnea quoque ab initio profunt ex aq. flux. calidiori (fundunt enim humores & insignem humectandi ac refrigerandi vim habent) cannula pertusa in vaginam uteri immissa pro referendis vasis: cuius usu fiat inunctio partium, quæ honestè nominari nequeunt ol. lil. alb. amygdal. & camomill. Alterata etiam balnea hîc inserviunt ex malv. lactuc. fol. viol. hord. semin. melon. *Albertin. Botton. l. 1. de morb. M. c. 37.* balnea ex jure carniū laudat.

LXVII. Purgantia possunt esse: Agar. Mechoacann. Turbitt. Gialap. Rhabar. Senn. Hellebor. Gum. gott. Polyp. &c. familiaris esse potest usus pilul. ex aloë succotr. sæpius succo viol. lotâ.

LXVIII. Hæc sequuntur alterantia, inter quæ primas tenet Diacalamentum *Galen. 5. aph. 36.* tantopere laudatum, quod non solum humorum crassitiem incidit, sed etiam menses movet: Decoct. lign. sanct. sassafras, radic. sarsaparill. chin. cum herb. uterin. vel pro necessitate frigidior. admixt. Accipiat ægra aliquid ante cibum duabus horis manè & vesperi. Ex residentia, novâ aquâ additâ, parari potest potus ordinarius. Succum Cochlear. & Artemis. recent. obstinatos etiam menses movere felici cum successu expertus est *Excellent. & Experientiss. Dn. Jac. Pancr. Bruno, Phil. & Medic. D. Prof. Publ. & Gratiostiss. Collegii Medici p. t. Decanus meritiss. Fautor & Promotor. noster æternum colendus.*

LXIX. Menses à proprietate quædam movere creduntur: summe laudantur Trochis. de myrrh. ex sententia Rhafis. Borax & secundinæ primiparæ. Borac. ℥j. cum gutt. iij. essent. croc. in aq. puleg. cum fructu exhibent. vel. R. borrac. mineral. ʒss. trochis. de myrrh. ℥ij. Castor. gran. iiij. Croc. Orient. gr. iij. cum syrup. artemis. M. F. Pilul. Commendatur quoque fermentum cum. pulv. laudat. troch. de myrrh. vel dictamno mixtum & singulis diebus avellanæ magnitudine sumptum. Ol. sabin. gutt. v. in aq. prop. laudant, & spir. pulegii cum suo sale essentificatum egregiè hic pollere asserunt. Exemplâ & formulæ medicamentorum menses cientium reperiuntur passim apud authores, quæ ibi præstat videre, quàm hîc transcribere.

LXX. Suf -

L X X. Suffitus teste *Hippocr. 5. Aph. 28.* muliebria ducit, hic fieri potest ex trochis. de myrrha. Fovendus insuper uterus vino albo tenuis substantiæ, in quo efferbuerint agrimon. rad. apii, foenicul. & malv. Pessi quoq; huc faciunt ex Sabina pulverisata & seminibus ammeos; cum melle despum. inspers. cinnam. Croc. & ambr. Allium contusum cum oleo de spica mixtum, raro linteo exceptum, satis potenter suppressa menstrua evocare *Albertin. Botton. l. c.* affirmat.

L X X I. Prodeuntibus iterum mensibus, non est, quod timeamus ulterius de turpi nostro affectu. Causa enim ablata cessat effectus, si pili sponte sua non cadent, ad psilothra confugiendum erit, quæ ubivis in haud parva copia apud authores occurrunt, optimè tamen de ipsis egit *Joh. Bayer. in Consil. 47. p. 191. seqq.*

L X X II. Si alia adsint urgentia symptomata, ad illa quoq; respiciendum erit, oculum tamen præcipuè ad movendos menses convertere debemus, monente *Mercurial. in 2. Epid. f. 81. H.*

L X X I I I. Diæta tandem claudit hoc nostrum exercitium: aër in principio frigidior eligendus vel arte parandus irrorationibus vel evaporationibus. Cibus sit *εὐχρυσος καὶ εὐπεπτός*, qui alterandi & attenuandi vi polleat, cerevisia tenuis & defecata, vinum tenuiss. medicat. absinth. artemis. scolopend. matricar. Veneris usus huc maximè facit, sopitam enim naturam movet, & invitat ad opus neglectum. Unde *Hippoc. I. de morb. virgin.* suadet eas cum viris conjungi deberi. Superadde *Joh. Baptist. Donat. com. in h. l. p. 43. & Mercurial. in 2. Epid. Hipp. f. 114.* Alvus si indurata fuerit, clystere leniente aut medicam. purgante solvenda, dandaque opera, ut lubrica & aperta semper retineatur, sic in cæteris quoq; contrarietas observanda, præcipuè quando urgent animi *παθήματα*, quæ pestis instar fugienda sunt.

SOLI DEO GLORIA.

COROL.

COROLLARIA

I.

A N rosa & papaver calidiora pipere? Aff.

II.

*An Chymia habeat medicamenta tuta
& jucunda? Aff.*

III.

*An in ciendis fœminarum mensibus sa-
libus arte chymica elicitis recte utamur? Aff.*

IV.

An sint venena? Neg.

V.

*An pili ex sanguine fiant aut eo nutrian-
tur? Neg.*

VI.

*An pinguedo circa cor pro pinguedine
habenda? N.*

VII.

*An possibile hominem post cordis excisio-
nem loqui? A.*

VIII.

*An infans in utero materno primis men-
sibus statim alimenta per os assumat? A.*

IX. *An*

IX.

*An motus arteriarum omnis à sanguine
immediatè transeunte N.*

X.

*An cordis motus dependeat à muscu-
lis ? A.*

XI.

*An setacea absque igne adhibenda ? A.
ex mente Hildani.*

XII.

*An in omnibus vulneribus capitis, ubi
cranium comminutum, frusta eximenda ? N.*

XIII.

*An Laryngotomia cum successu & sine
damno in anginis adhiberi possit ? A.*

XIV.

*Utrum in pleuritide pulmones vel mem-
brana costas subcingens afficiatur ? Affir. prius.*

XV.

*An quaelibet terra habeat sua propria me-
dicamenta, ut exteris non indigeat. A.*

Nosci.

Noscitur ungue Leo : vetus est sententia
Vulgi.

Sed mea: BÜRLINUS *noscitur è The-*
sibus !

deprop.

J. G. FABRICIUS, D. Com. Pal.
Cæs. & Coll. Med. Norimb. Senior,
Septuagenarius.

